

**05
A
662**



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-615970-p0002-8

DFG

I. N. J.
DISPUTATIO TERTIA
De
PARVIS LOGICALIBUS,

Quam
Sub PRAESIDIO

M. JOHANNIS DÜRRII, DRESD.
Alumni Elect. & Collegij Philos. Adjuncti,

proponit
ANDREAS GROLMANUS, Misnens.

Ad diem 16. Febr. horis antemer.

In Auditorio Minoris.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS HAKEN, M DC XLII.

15
ATTACT. OFFICIALE

VIRIS

*Eruditionis amplitudine, Judicij dexteritate, Vitæq; integritate
celebratissimis:*

DN. MICHAELI SCHNEIDERO,
Quæstori Electorali apud Wittebergen-
ses meritissimo.

DN. MARTINO STARCKIO, Notar.
Publ. Cæs. Quæsturæq; ejusdem Rationum
Magistro.

DN. HIERONYMO HÖRNICK,
Scripturarum publicarum præfecto,

Fautoribus suis venerandis

Hocce æternæ devotionis testimonium
offerō

And. Grollmannus.



I. N. J.



Uod Philesius Vogesigena de laudibus & fructu Margarite cuiusdam Philosophica, Basilea Anno supra Millesimum Quingentesimum octavo editæ, scripsit:

Totus si intraret calefactum pectus Apollo;

Implerent Musæ si mea corda novem;

Digna tamen libro præconia dicere scripto,

Nec possent Reischo carmina nostra Patri.

illud ad nostram quoq; quam disputamus, materiam spectat. Nam in calce Logices non abs re Auctori visum fuit, de Passionibus terminorum, quas Parva Logicalia dicunt, nonnulla adjungere. Quapropter parvis hisce, & minimis quasi, tribuemus porro operam nostram, & post Ampliationem, nunc de Statu, Distractione & Appellatione pauca quædam explicabimus.

SECTIO III.

De

STATU.

§. I. Status est acceptio termini adæquate pro omnibus rebus, quæ existunt, in assignato tempore per Verbum principale, h. e. pro omnibus rebus, quæ existunt in existentiâ temporis Verbi principalis. Ita Excell. noster Scharffius aliquando Statum definiebat, & lucidissimè quidem, quantum ego judicare hâc in re possum. Sint exempla: Socrates disputavit, Homo scribit; qui ambulat, movetur; qui non pugnabit, non vincet. In hisce exemplis termini, subjectum nimirum, & prædicatum, Statum habere dicuntur, quia stant in eâdem temporis differentiâ. Sic subjectum hujus Enunciationis (homo scribit) accipitur tantum pro

A 2

homine

homine existente, seu præsente, juxta differentiam temporis præsentis, quæ indicatur per Verbum, scribit.

§. 2. Cl. Marsilius ubi hâc de re considerationem instituit. Statum definit hunc in modum: Status est suppositio (vel acceptio) termini, pro omnibus suis suppositis, vel omni suo supposito, sibi adæquatè correspondentibus, vel correspondentे, respectu unius differentiæ temporis præcisè: ut præsentis tantum: vel præteriti solum: vel futuri. Fonseca de Statu præcipiens, hanc tradit definitionem: Status est acceptio termini pro ijs rebus adæquatè, quæ existunt in tempore adsignificato, per principalem copulam Enunciationis, ut si dicas, sedens est differens. Uterque enim terminus accipitur pro solis præsentibus, juxta differentiam copulæ. Cl. Dannhau, ita inquit: Logicis in præsentiarum Status dicitur, acceptio termini pro tempore eodem, quod significatur per verbum propositionis. Alij non aliter de Statu sentiunt ac loquuntur.

§. 3. Ita ergò omnes, quos audivimus hactenus Auctores, statum nobis exponentes, uno, quod dicitur, ore, de principali copulâ loquuntur; Ideò quid intelligendum per illam sit, intimè erit observandum. Dicunt nimirum Enunciationis copulam, quæ neicit prædicatum cum Subjecto. Postmodum etiam quædam copula minus principalis dicitur, quæ in subjecto includitur, & eam ob causam à nonnullis copula implicationis vocatur. Hæc Statum non variat, ut, si dicas, homo qui tacebat, loquitur; Verbum tacebat, non facit, ut subjectum accipiatur pro homine non existente, aut qui fuit in præterito tempore. Adeoq; ex copulâ principali Enunciationis Status propositionis æstimandus est, qui tūm obtinet, quando est temporis identitas in utroq; extremo. VId. Hurt. Mendoza d. 2. Summ. sect. 7.

§. 4. Præterea ubi perreptavimus Parvorum Logicalium opuscula, deprehendimus, quod non satis conveniat auctoribus in opposito Status assignando. Alij, inter quos familiam Fonseca dicit, Statui opponunt Distractionem, alijs, ut Mendoza cum suis, Statui opponunt Ampliationem. Verbi caussâ, quando termini propositionis significant res incompossibiles pro tempore significato

cato per Verbum, tunc Ampliatione opus est, ut, vigilans dormit, stans sedet. Verum quod pace horum dixerimus, Fonsecæ opinio & à veritate videtur esse propior, & usui quoque accommodationior.

§. 5. Venimus nunc ad Divisionem Statūs, ut dicamus quotuplex ille sit. Communi sententiâ triplex, juxta tres temporis differentias Status esse dicitur, Præsentis, Præteriti, & Futuri temporis. Status præsentis est, cum copula significat tempus præsens, & vox ratione copulæ sumitur pro suis significatis, præsenti tempore existentibus, ut, qui jam est homo, scribit, sedet, currit, &c. Cùm autem copula est præteriti temporis, & vox sumitur pro præteritis, dicitur Status præteriti temporis, ut homo est mortuus; quæ propositio exponenda hoc modo venit, qui fuit homo, est mortuus. Futuri deniq; dicitur, cum copula est futuri, & vox sumitur pro futuris, ut, quoddam animal generabitur. Hic tempus copulæ principalis est futurum; ergo dicendum: quoddam quod erit animal, generabitur. De divisione qui plura, videat Morisanum, alios.

§. 6. Quò percipiamus hæc cumulatiūs, tria insuper documenta, pro Statu cognoscendo, adjiciemus. I. Omne subjectum propositionis affirmativæ ac præsentis temporis, cuius prædicatum non potest subjecto convenire, nisi præsupposita subjecti existentiâ, præsentis temporis Statum habet, ut si dicat aliquis, homo est doctus, fortis, aut justus. II. Quando prædicatum non convenit nisi rei in futuro existenti, subjectum habet futuri temporis statum, ut, quidam homo generabitur. III. Quando prædicatum non competit, nisi rebus in præterito, subjectum præteriti temporis Statum habet, ut, quædam domus est combusta, quædam urbs est diruta.

§. 7. Quantum hæc, quæ exposuimus breviter de Statu, utilitatis habeant, dici satis vix potest. Nam hæc doctrina de Statu I. Utilis est ad multas Propositiones rectè intelligendas, v.g. hæc: Virgo facta est meretrix explicanda atq; intelligenda est non alio, quam hoc modo: illa quæ fuit Virgo, facta est meretrix.

§. 8. II. Usui nobis venit in Propositionum conversione, v.
g. hæc, quæ sequuntur: Homo est mortuus, Domus est combusta,
convertendæ non sunt hoc modo: Quidam qui est mortuus, est
homo: Quoddam quod est combustum, est domus. Falsæ enim
sunt, ubi tamen convertentes extabant veræ; Hâc ergo ratione
carundem conversionem potius instituimus, quidam qui est mor-
tuus, fuit homo: Quoddam quod est combustum, fuit domus.
Nam, ut rationem non reticeamus, subjecta istarum propositio-
num convertendarum Statum habebant præteriti temporis, qui
in conversis mutatur, & ita tota conversio vitiosa redditur.

§. 9. III. Maximè in rem nostram est, quando oppositionem
propositionum adornamus, in quæ termini planè ijdem manere
debent. Exempli gratiâ, oppositio hæc inepta prorsus est & vitio-
sa: Nulla domus est combusta; & quædam domus est combusta,
si nimirum prior hoc sensu intelligatur: Nulla quæ jam est domus
est combusta, posterior vero ita: Quædam quæ fuit domus, est
combusta. Verissima enim utraq; est, & nihil habet admixtæ fal-
sitatis. Quòd adeò nobis mirum non videbitur, si cogitaverimus,
esse subjectum aliud illius, hujus itidem aliud. Ita autem manife-
stissimè veræ oppositionis leges lœduntur.

§. 10. IV. Refert ad enunciationum consecutionem, quando
ab Est secundi adjeci, ad Est tertij adjeci, & versa vice argumen-
tamur. Quoties enim tales instituere consequentias animo nostro
libitum fuerit, in eadem semper differentiâ temporis propositio-
num subjecta collocanda sunt. Sic consequentia nulla est: Ari-
stoteles est mortuus, E. Aristoteles est: Quidam homines sunt
generandi, E. sunt. Vitium autem per subjectorum mutatio-
nem contrahitur, aliud enim in priore, aliud est in posteriore
propositione. Quam ob causam rectius tali modo colligimus:
Aristoteles est mortuus, E. fuit: Quidam homines sunt generandi,
E. erunt.

§. 11. V. Denique utilis maximè atque perquam fructuosa est
hæc doctrina, in sophismatibus diluendis, qualia vel ex sexcen-
tis sunt:

Nullus

Nullus puer est senex. Nulla vitiata est Virgo.
 Quidam puer factus est senex. Quædam Virgo est vitiata.
 E. Quidam qui factus est senex, E. Quædam vitiata non est vitiata.
 non est senex.

Respondemus solummodo ad prius. Puer in propositione majori sumitur pro nunc existenti, & hoc sensu nihil falsi habet: Quod si eodem in Statu accipiatur in minori, puerum scilicet nunc talem existentem factum esse senem, falsa omnino erit. Quod si puerum sumamus amplè, minor quidem propositio erit vera, sed falsa major, falsum enim est, nullum, qui fuit puer, esse senem. Hinc jam difficile non erit perspicere, quomodo posteriori occurrendum, & simile solidè etiam resolvendum sit.

SECTIO IV.

De DISTRACTIO N.E.

§. 1. Distractio est acceptio termini, non in eadem, sed in aliâ differentiâ temporis, quam per copulam principalem significatur, ut: Cæci vident, surdi audiunt. Quæ propositiones non habent Statum temporis, nec verificari possunt in eadem differentiâ temporis; sed ad aliam & diversam tempotis adsignificationem termini trahendi sunt, hoc sensu, qui erunt, vel fuerunt cæci, vident, qui erant surdi, audiunt. Sic ergo distrahitur termini & divelluntur, ab eâ temporis differentiâ, quæ per principalem copulam enunciationis notatur. Hinc distractio terminorum dicitur.

§. 2. Ut illustrior fiat hæc nostra definitio, collatio institui potest, ad alias, descriptiones, quæ apud Logicos Auctores extant. Apud Bernh. Morisanum tales legimus: Distractio est, quam vox pro aliâ differentiâ temporis sumitur, quam principalis copula importat, ut sessurus loquitur, qui locutus est, tacet. Apud Franc. de Raonis autem hæc legitur: Distractio dicitur, quando terminus distrahitur à tempore, quod per Verbum principale significatur,

gnificatur, seu non sumitur pro illo tempore, quod per Verbum principale consignificatur, sed ad aliud traducitur: Exempli loco ponantur istae propositiones, quae habentur apud Matthæum, cœci vident, claudi ambulant, in quibus propositionibus termini illi, cœci, claudi, accipiuntur in tempore præterito, ut sit sensus, qui cœci erant, vident nunc, qui claudi erant, ambulant: quanquam tamen verba principalia, vident & ambulant, consignificant tempus præsens.

§. 2. Hanc Distractionem alij volunt esse Ampliationem, quemadmodū ex Mendozā modò audivimus, igitur hīc de termino amplio ita scribit: Terminus amplius est, qui significat pro tempore distincto ab eo, quod Verbum significat. Terminus autem non amplius est, qui significat pro eodem tempore, & constituit propositionis Statum. Nos ad partem negantem deflectimus, consultissimum hāc in parte judicantes, manere in usitatis Ampliationis definitionibus, quas passim tradunt Summulistæ, & quarum in antecedente Disputatione nonnullas adduximus, eamq; Ampliationem à Distractione distinguere. Præterquam enim quod nova est hæc sententia, non satis firmo nititur fundamento. Etenim Ampliatio magis Restrictioni opponitur, quam Statui, uti inferius dicemus. Mendoza autem quæ scripsit, illa profectò rectius de termino distracto accipies.

§. 3. Varijs autem modis contingere potest hæc Distractio, inquit Morisanus, & sex quasi species Distractionis recenset Fonseca l. c. Nam si principalis copula Enunciationis adsignificaverit tempus præsens, poterit Distractio accidere, vel ratione præteriti, vel ratione futuri: Ut si dicas: Qui didicit, docet; qui moriturus est, nascitur. Si verò principalis copula adsignificaverit tempus præteritum, poterit Distractio accidere, vel ratione præsentis, vel ratione futuri, ut si dicas, qui docet, didicit; qui moritur, natus est. Si deniq; adsignificaverit tempus futurum, poterit Distractio accidere vel ratione præsentis, vel ratione præteriti, ut, si dicas, qui vivit, morietur: qui natus est, morietur.

§. 4. Ex ijs, quæ dicta sunt, patet, distractum esse terminum; quando accipitur pro ijs tantum, quæ sunt in aliquā differentiā tempoz.

temporis, diversâ ab eâ, quæ adsignificatur per principalem copulam enunciationis, quod tanquam verissimum documentum in hâc materiâ diligentî studio erat observandum.

§. 5. Usus Distractionis insignis quoq; est I. In propositionibus dextrè explicandis. Ita datas propositiones, surdi audiunt, claudi ambulant, nunc absq; errore exponimus hoc modo: Qui fuerunt surdi, audiunt, qui fuerunt claudi, ambulant. II. In propositionibus juxta præscriptas leges convertendis. Positæ enim propositiones hunc in modum falsò convertuntur: Quidam, qui vident, sunt cæci, quidam qui ambulant, sunt claudi. Ita autem rectissimè: Quidam qui vident, suêre cæci, quidam qui ambulant, fuerunt claudi. Ratio duplex est, una à priori, quia ubiq; eadem temporis differentia in terminis debet retineri, cum alias vitiosa fiat terminorum multiplicatio. Altera à posteriori, quia alias convertentes forent ut falsæ rejiciendæ. De similibus similiiter judicandum. Hæc verbi gratia: Nullus puer fuit senex, convertitur perperam, Ergo Nullus senex fuit puer. Neq; enim ijdem retainentur termini, sed subjectum distractè sumitur hoc sensu: Nullus qui jam est puer, fuit senex, unde sic est convertenda, E. Nullus qui fuit senex, est puer. III. Usus quoq; distractionis maximus est, in propositionibus rectè sibi invicem opponendis. Sic minimè adversis frontibus concurrunt, cæci vident, cæci non vident, quia visu destituuntur. Alius enim hujus, aliis illius sensus est. Prior propositio loquitur de illis, qui fuerunt cæci, posterior autem de his, qui jam sunt cæci. Deniq; IV. in nondis sophisticis feliciter & expedite resolvendis, quales sunt:

1.

2.

Qui vident, non destituuntur visu. Qui sunt mundi, non habent leprā.

At cæci vident.

At leprosi sunt mundi

E. cæci non destituuntur visu.

E. non habent lepram.

3.

4.

Qui audiunt nō destituuntur auditu. Qui sunt sani, non sunt ægroti.

At surdi audiunt. E.

Ægroti sunt sani. E.

5.

Qui loquuntur, edunt articulatam vocem.

At muti loquuntur. E.

B

In his

In hisce argumentis omnibus & singulis, minor terminus in propositione minore accipitur distracte, pro ijs, qui fuerunt cæci, muti &c: In conclusione habet Statum, sumiturq; pro ijs, qui jam sunt surdi, muti, &c: Si autem utrobiq; minor terminus distracte sumatur, conclusiones undiquaque veræ erunt. Habebunt enim hunc sensum: Quidam qui fuerunt cæci, non destituuntur visu; quidam qui fuerunt ægroti, non sunt ægroti.

SECTIO V.

De

APPELLATIONE.

§. 1. Appellatio est affectio termini, quā una dictio aliam denominat. Ut si dicas, Apelles est egregius pictor, dictio egregius appellare dicitur dictionem pictor, non autem dictionem Apelles. Neq; enim sensus est, quod Apelles sit bonus & pictor, sed quod egregiè artis hujus sit peritus.

§. 2. Enitendum hīc iterum est, ut idem ex vetustioribus & recentioribus auctoribus ostendamus. In antiquissimo illo Introductorio Dialecticæ, quod Congestum Logicum appellârunt, tales reperimus definitionem: Appellatio est acceptio termini pro re existente, quæ definitio conceptis verbis habetur apud Petrum Hispanum. Dominicus Bannes Appellationem ita explicat: Appellatio est applicatio significati formalis unius termini, ad significatum formale alterius. Bernh. Morisanus inquit: Appellatio est, cum vox una aliam afficit ac denominat, illiq; tribuit suam significationem, ut Johannes est bonus Citharœdus. Franciscus de Racon. dicit: Appellatio terminorum dicitur, cum unus alteri suam significationem impertit. Omnium autem optimè, juxta Mendozam, de Appellatione Fonseca differit, eamq; ita definit: Appellatio est termini affectio, quā terminus denominativus seu connotativus & concretus alterum denominat, ut Petrus est bonus Philosophus.

§. 3. Ut posita hæc definitio penitus intelligatur, observetur diligenter, quod denominare h. l. aliud nihil sit, quam appellare, vel alte-

vel alteri nomen & appellationem tribuere, ut Aristoteles est bonus Philosophus. Hinc etiā dictio denominans dicitur appellans, dictio autem quae denominatur, dicitur appellata, seu denominata, ut Cæsar est Magnus Imperator, dictio Magnus dicitur appellare Imperatorem, non Cæsarem.

§. 4. Quodnam vero & quale discrimin sit inter dictiones Appellantem & Appellatam, Morisanus bene addit. Nimirum I. Dictio appellans semper est adjectiva, aut velut adjectiva, appellata vero substantiva, aut velut substantiva, ut Petrus est egregie doctus, Johannes est mediocriter artis medicæ peritus. II. Dictio appellans semper accipienda est secundum suum significatum formale, appellata vero nunc pro formalis, ut si dicas, Paulus est bonus Philosophus; nunc pro materiali, ut si dicas, hic Philosophus est bonus. Sensus enim non est, quod Philosophia bona sit, sed quod homo, qui denominatur Philosophus, sit bonus.

§. 5. Ne videamur neglexisse ipsum nomen, dicimus breviter, Appellationis vocabulum ambiguum esse, & variè sumi. Primo quidem Politicè, datur enim Appellatio Politica, quæ est recursus à minore judice ad majorem, propter injustam latam sententiam, & pertinet hæc ad JCtos. 2. Grammaticè, quæ Grammatica Appellatio est multiplicatio multorum in uno aliquo nomine, quo modo dicitur nomen appellativum. 3. etiam Appellatio dicitur prædicatio accidentalis, quâ aliquid appellatur seu denominatur ab accidente, ut nix est alba, homo est fortis, temperans. Hoc modo appellatio sumitur in definitione Paronymorum. Deniq; sumitur Appellatio pro applicatione significati formalis ad significatum alterius, & hæc postrema significatio propria est hujus loci, vel quod eodem redit, hoc modo Appellatio termini est affectio.

§. 6. Est etiam notandum hoc loco, posse & subjectum & prædicatum appellari, fertur enim super illum terminum Appellatio, cui adjungitur, & quasi appingitur. Quando ergo dictio appellans ponitur ex parte subjecti, tunc illud appellat, ut: Petrus magnus est Logicus, id est, qui est magnus, est Logicus, ut Petrus per illam dictiōnēm appellantem discernatur à pusillo. Quando

verò dictio appellans ponitur ex parte prædicati, tunc quoq; appellat prædicatum, ut: Tullius fuit magnus Orator. Ibi vox magnus quasi comprædicatum est, & ponitur ad significandam excellentiam Oratoriæ Tullianæ.

§. 7. Ubi tamen prudentiâ opus est, nonnunquam enim dubium est, quodnam appelle, an subjectum, an verò prædicatum, cum non satis constet, num dictio appellans sit referenda ad subjectum, an verò ad prædicatum, ut si dicatur, ille magnus est Philosophus, ille parvus est Medicus; ibi dictiones appellantes, magnus, parvus, possunt referri vel ad subjectum, ut sit sensus, ille qui est magnus, Philosophus est; ille, qui est parvus, Medicus est, & sic quantitas hominum appellatur: Vel possunt referri ad prædicatum, hoc sensu: ille est Philosophus magnus, est Medicus parvus, & tunc appellatur Philosophia & Medicina. Verum enim verò terminorum restrictiones & denominationes, ut usus atque idioma linguae, Mendozâ ita monente, diligentî studio obseruentur, & difficultates omnes facile superari poterunt.

§. 8. Ita quid Appellatio sit, diximus, nunc sigillatim scrutemur, quâ ratione dividatur. Variè ac multipliciter hoc fieri apud Auctores citatos in his disputationibus, videamus. Dividitur I. in eam, in quâ tām subjectum, quām prædicatum est concretum, & quæ fit secundūm formale termini appellativi, quæq; parit sensum compositum, ut quidam Philosophus est Theologus: & in eam, quæ fit secundūm materiale termini appellati, & non secundūm formale, & parit sensum diversum, ut quidam Philosophus non est Theologus.

§. 9. Deinde Appellatio alia est realis, alia rationalis. Illa est, quando Terminus appellans est aliquid reale, ut Christianus est sapiens Senator. Hæc autem est, quando dictio appellans est ens rationis, seu notio secunda, ut si dicas, Leo est species, substantia est genus summum. Ubi advertendum, quamvis in enunciatione modo prolatâ, dictio appellans sit substantivum Grammaticè, tamen Logicè, cum sit dictio connotativa, esse adjективum. Omnis enim dictio connotativa potest dici adjactiva, respectu rei connotatæ.

§. 10. III. Est

§. 10. III. Est vel intrinseca, vel extrinseca. Illa, quando forma denominans subiecto inhæret: Vel quando formale termini appellantis inest reverâ termino appellato, ut homo est doctus, Aristoteles est Philosophus. Hæc, quando forma denominans, non intrinsecè convenit ipsi subiecto, quamvis eidem appellatio nem suam tribuat: Vel, quando formale non reverâ inest appellato, sed subiectum saltem ab eo denominatur, ceu ab extrinseco, ut homo videtur, rana auditur, Petrus est justus coram D E O.

§. 11. Plenioris doctrinæ gratiâ, has paucas, quas ex plurimis selegitimus, regulas annotamus. I. Vox adjectiva, aut velut adjectiva, quæ prædicatur de subiecto aliquo habente materiale significatum, appellat illud, nisi significet accidens rationis. Ex. gr. Hic homo Grammaticus est bonus, Vox bonus appellat hominem, qui est Grammaticus, non autem Grammaticum, in quantum est Grammaticus. Diximus nisi significet accidens rationis, quando enim accidens rationis significat, prædicatum appellat formale & immediatum significatum subiecti, modò nihil obstat. Exempli gratiâ, canis est species, canis prædicatur de pluribus numero differentibus. Accipitur enim subiectum pro suo immediato significato, cane nempe in communi & in abstracto, non autem aliquo ex singulis. Falsæ enim essent propositiones, si diceres, hic canis est species, hic canis, prædicatur de pluribus numero differentibus. Addidi mus autem, modò nihil obstat, multis enim & varijs modis ejusmodi appellatio potest impediri.

§. 12. II. Vox adjectiva aut velut adjectiva, posita ante substantivam aut velut substantivam, in eodem enunciationis extre mo, appellat formale significatum illius. Ut si dicas, Johannes est bonus Musicus. Est enim sensus, quod Johannes sit bonus, quo ad artem Musicam, sive excellat in arte Musicâ.

§. 13. III. Voces significantes actum aliquem animæ vel rationalis, vel sensitivæ, appellant significatum formale illarum, in quas feruntur. Ut si dicas: cognosco venientem, ut venientem, licet eum, qui est veniens, non agnoscam. Concupisco dulce, quæ ratione est dulce, licet rem, quæ dulcis est, non expetam...

§. 14. Usum Appellationis quod attinet, facit imprimis hæc doctrina ad propositiones & varias quæstiones rectè intelligendas & dijudicandas. Siquidem in omni disciplinâ propositiones occurunt, quæ in sensu quidem composito veræ sunt, in sensu autem diviso prorsus falsæ, & contra. Per sensum autem compositum intelligimus, quando formalia significata extremorum, h. e. subjecti & prædicati connectuntur, ut album est coloratum. Sensus verò est divisus, quando formale significatum prædicati non cum formalí, sed cum materiali subjecti conjungitur, ut quidam albus est doctus. Sic v. g. quando quæritur an renati peccant, an peccatores salventur, ex hæc doctrinâ, quæ de Parvis est, excultus rectè respondebit, quod datæ & similes quæstiones veræ sint in sensu diviso, hoc modo: Illi, qui sunt peccatores, salvantur, Quidam qui renati sunt, peccant. In sensu verò composito sunt falsissimæ. Non enim peccatot, quatenus peccator est, salvatur, & nullus renatus, quatenus renatus est, peccat. Plura omnino haberemus, quæ ad prolixiorem commendationem hujus doctrinæ, quæ de Appellatione fuit, facerent, sed sapienti sat.

ACCESSIONE

- I. An Logica applicata scientiæ sit ipsa scientia? Aff. contra Sagittarium.
- II. An DEUS sit in prædicamento? Resp. Nullo modo.

- III. An dentur ratiocinationes singulares? Aff.

SOLI DEO GLORIA.



*Agna alij tractent, at tu Logicalia parva
GROLMANE è cathedrâ, non sine laude, doces.
Sepè & parva placent superis, modò vera, nec illi
Spernunt exiguo carmina nata solo.*

f.

M. Johannes Meisnerus,
Torgens.



Urbs antiqua jacet stagnantis ad Albidos undas.
Quæ vetus à Meissa flumine nomen habet.
Hæc nobis cunas dedit, ast Witeberga dat artes.
Quarum nunc specimen pulpita docta probant.
Maete esto; ex animo precor, ut tua lemmata cedant
In patriæ laudes hujus & alterius.

*Ita Sympatr. atq; amicum
suum perdilectum
acclamat*

M. Andreas Zahn/
Misnensis.

05 A 662



Sb

W007

24.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-615970-p0020-8

DFG

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Inches
Centimetres

N. J.
TIO TERTIA
GICALIBUS,

AESIDIO
DÜRRII, DRESD.

legij Philos. Adjuncti,

onit

OLMANUS, Misnens.

br. horis antemer.

rio Minori.

BÆRGÆ,
AKEN, M DC XLII.

21.

